

Petrus de Vinea

*Ep. V 49 (Vniuersis, et cetera.
Notum facimus fidelitati...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 49 (Vniuersis, et cetera.
Notum facimus fidelitati...)*

1241?

Concedit litteras securitatis quibusdam mercatoribus sub certis condicionibus.

1. Vniuersis, et cetera. 2. Notum facimus fidelitati uestrae, quod nos P. et R., ciuibus et mercatoribus Tudertinis, latoribus presentium, fidelibus nostris, licentiam et securitatem duximus concedendam, ut per Imperium et Regnum nostrum ire, morari et redire ualeant cum mercimoniis et rebus eorum salubriter et secure, saluo iure et directu curiae nostrae tam in Imperio quam in Regno, quae ab eis integre persoluantur. 3. Quocirca fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus eosdem P. et R., fideles nostros, cum tribus equitaturis et duobus scutiferis, mercimoniis, et rebus eorum eundo, morando et redeundo, transire libere permittatis: nullam eis in personis uel rebus molestiam inferentes, seu ab aliis facientes inferri. 4. Dum tamen attentius caueatur, quod papales litteras uel alicuius de Romana curia non apportent, de Regno prohibita non extrahant, licite extracta ad infideles non deferant; et nichilominus cum eis distrahant uel mercentur, aut machinentur publice uel occulte, in lesionem nostri nominis uel honoris. 5. Ad infidelium terras non diuertant, nil eis ferant uel referant uerbo uel litteris: nec aliquem in eorum societatem scienter admittant ferentem uel referentem aliquid nostrae contrarium maiestati.